



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

§. 3. De Hymno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

## §. III.

## De Hymno.

I. **N**unquam omittitur, nisi à Triduo ante Pascha usque ad primas Vesperas Dominicæ in Albis exclusivè.

II. Ultima Stropha variatur pro variatione temporis quæ variatio faciendâ est in Completorio Feriæ sextæ, etiam si de B. Virgine in Sabbato non sint dictæ Vesperæ à Capitulo, sed tantum eius Commemoratio facta sit.

## §. IV.

## De Capitulo.

I. **S**emper dicitur, excepto Triduo ante Pascha usque ad Completorium Dominicæ in Albis exclusivè. Nunquam mutatur.

## §. V.

## De Responsorio brevi.

I. **D**icitur semper; præterquam à triduo ante Pascha usque ad Sabbatum in Albis exclusivè.

III. Tempore Paschali ante primum Versum dicitur duplex Alleluia, iterumque post illum Versum repetitur in parte Responsorij. Post secundum Versum verò additur tantum unum Alleluja.

## §. VI.

## De Antiphona ad Canticum Simeonis.

I. **N**unquam omittitur, exceptâ Feriâ quintâ Cœnæ Domini, & Parasceves. Nunquam dicitur in integrum initio, sed nec variatur unquam, nisi à Sabbato sancto inclusivè (in quo propria habetur usque ad sequens Sabbatum exclusivè, ubi loco consuetæ Antiphonæ dicitur in fine Cantici Antiphona: *Hac dies*, non autem inchoatur ante Canticum).

II. Reliquo tempore Paschali, si consueta Antiphona *Salva nos* dicitur, additur in fine unum Alleluja.

## §. VII.

## De Cantico Simeonis.

I. **S**emper dicitur, etiam in Triduo S. Hebdomadæ.  
II. Semper clauditur per *Gloria Patri*, exceptâ Feriâ V. Cœnæ Domini, & Parasceves.

## §. VIII. De